

Programm des K. K. OBER-GYMNASIUMS in Czernowitz in dem Herzogtume Bukowina für das Schuljahr 1885.

Veröffentlicht

von

St. Wolf,

k. k. Schulrat, Gymnasial-Director und Mitglied des k. k. Landesschulrates.

INHALT:

1. De Cicerone tragœdiae Romaniae indice. Von Romuald Wurzer.
2. Schulnachrichten. Vom Director.

Czernowitz.

Druck von Rudolf Eekhardt.

Nr. 280
Spr. 30

De Cicerone tragoediae Romanae iudice.

Vix de alio artis poëticæ genere iudicia inter se tam diserepantia a viris doctis prolata sunt, quam de tragoedia Romanorum. Artem enim tragœam apud Romanos neglectam esse neque omnino quemquam fuisse, qui ex ingenio suo hanc artem coleret, exeunte superiori et incunente hoc saeculo viri docti certe cognitum habebant, veluti Lessingius¹⁾, Herderus²⁾, Schlegelius³⁾ aliique, qui veteris tragoediae Romanae indole ac natura non satis perspecta tantummodo ad recentiores huius generis Romanorum poëtas resperxisse videntur. Sed nemo facile non intelleget hos viros doctos non tam severo de hoe genere poësis Romanae iudicio usuros fuisse, si Romanorum ipsorum sententiis iudiciisque accuratius atque consideratius perpensis sua de hac re iudicia fecissent. Neque mitius postea nonnulli de tragoedia Romana senserunt, ut Planckius⁴⁾, Meierotto⁵⁾, Guil. Schlegelius⁶⁾, qui in eo maxime nixi, quod Romani fabulas e Graecorum fabulosis narrationibus expresserunt, tragicos poëtas tam parvo ingenio fuisse statuerunt, ut ne suo quidem consilio fabulas confidere potuerint, verum servilliter eas a Graecis transferre non dubitaverint neque raro ad verbum mutuati sint. Primus autem acerrimus tragoediae Romanae defensor exstitit G. A. Langius⁷⁾, qui singulorum scriptorum Romanorum de hac re sententiarum iusta ratione habita, qualis tragoediae apud Romanos conditio ac ratio fuerit quantoque in honore cultuque apud populum ipsum tragoedia Romana fuerit, non sine acumine quodam cognovit copioseque exposuit. Item acquius iudicium fecerunt ii, qui post G. A. Langium hanc materiam tractaverunt vel occasione oblata tetigerunt. Ita quanum in tragoediis Romanis e Graeco esset expres-

¹⁾ Lessing in Laccoone.

²⁾ Herder „Von den Wirkungen der Dichtkunst auf die Sitten der Völker. Ursachen des gesunkenen Geschmacks“.

³⁾ F. Schlegel in historia litterarum veterum et recentiorum I. p. 103, sqq.

⁴⁾ H. Planck „De origine atque indole veteris tragoediae apud Romanos disputatio præfixa Ennii Medeae“ ed. Gotting, 1807.

⁵⁾ Meierotto „Ueber Sitten und Lebensart der Römer“ I. p. 111, sqq.

⁶⁾ Wilh. Schlegel „Ueber dramatische Kunst und Literatur“ II. S. 16, sqq.

⁷⁾ G. A. Lange „Vindiciae tragoediac Romanae“. Lips. 1822.

sum statueret studebant Welckerus¹⁾ et Ladevieu²⁾ canderneque G. A. Langii sententiam Bernhardyus in hist. litt. Rom. luculentissime confirmavit. Deinde iam accuratissime atque copiosissime de tragœdia Romana et, quae eius ratio ac conditio temporibus rei publicae tuerit, Ribbeckius³⁾ disputavit. Quibus viris doctis magna habenda est grātia, quod omnes locos congeserunt sententiasque et testimonia contulerunt, quibus, quid singuli scriptores Romani de re tragœcia Romana senserint, facile docemur. Atque cum has Romanorum ipsorum sententias haud parvo pretio esse debere fere ultro appareat, iusto plus E. Langio⁴⁾ et E. Schollmeyero⁵⁾ magnae laudi tribuere possumus, quod nuperrime, quid Cieero de poëtis Graecis et Romanis senserit, accuratius disputaverunt. Quibus praeceuntibus nunc mihi Ciceronis de tragœdia Romana et de singulis Romanorum poëtis tragicis iudicium certis argumentis ex Ciceronis ipsius operibus sumptis liceat inlustrare; qua disputatione si nihil nisi additamentum quoddam dignum, quod benigne respiciatur, confecero, iam satis fecisse mihi videbor.

Viam autem ac disputandi rationem ita ingrediar, ut primum, quid Cieero in universum de tragœdia Romana iudicaverit, deinde, quid de singulis poëtis Romanorum tragicis eorumque ingenii senserit, agam.

I.

Accedamus igitur ad priorem disputationis partem, qua, quid Cieero omnino de poëtis et de dignitate artis poëticæ senserit, paucis demonstremus necesse erit. Ciceronem Graecorum et Romanorum poëtas studiosissime legisse neque parva operam navavisse in legendis cum Graecorum, tum Romanorum poëtis tragicis eorumque fabulis, iam, quicumque Ciceronis libros perlegerit, libere atque ingenue concedet. Etiamsi enim Cieero, ut E. Langius p. 28 ex Brut. 3; ibid. 70. et 71; d. or. 1, 2, 12. non sine iure conlegit, artem poëticam omnino in leviorum artium numero habere non dubitavit, ita ut non tam ut artium index, sed ut orator vel philosophus sententias suas fecisse videatur, tamen nos iusto plus miros habebit, quod Cieero tam saepē⁶⁾ poëtas magna laude dignos esse profitetur et quod locos haud paueos in libris suis adhibuit, unde nobis facile configere licet Ciceronem non solum

¹⁾ Welcker : Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet, Bonn. 1841 Abth. 3. p. 1332—1484.

²⁾ Th. Ladewig : Analecta scenica, Neustrelitz 1848.

³⁾ Otto Ribbeck : „Die römische Tragoedie im Zeitalter der Republik“, Leipzig 1875.

⁴⁾ E. Lange : Quid cum de ingenio et litteris tum de poëtis Graecorum Cieero senserit. Halis 1880.

⁵⁾ Ern. Schollmeyer : Quid Cieero de poëtis Romanorum indicaverit. Halis 1884.

⁶⁾ cf. or. pro Archia §§. 12—14; 18 et 19. Laudes, quas hic in poësim contulit, etiamsi „minoris ad veritatem momenti“ esse videntur, tamen, cum in universum spectent, respiciendae sunt; deinde cf. Cato Maior §. 24, ep. ad Quint. fr. 3, 4. 4, or. 109.

in carminibus legendis, sed etiam in diiudicandis poëtarum fabulis aliquantum versatum esse. Hoc certe quisque concedet, si consideraverit Ciceronem iam a puero haud exiguam delectationem et ex Graecis et ex Romanis poëtis percepisse. Neque tam bene apteque locos singulos poëtarum cum libris philosophis ac rhetoriciis, tum maxime epistulis inseruisset, nisi eorum clarissima saltem opera penitus cognovisset att magnum studium in ea contulisset. Sane quidem Ciceronem omnibus artis poëticae generibus haud aequum studium tribuisse ex illa copiosa E. Langii dissertatione satis superque adparet. Sed e Romanorum poëtis, ut ex simili Schollmeyer¹⁾ dissertatione facile conligi potest, maxime tragicos cum euu adamavisse fere in propatulo sit, nos multo facilius eo perdueimur, ut in nostram disputationem quaestionem vocemus, cur Cicero in ipsis poëtas Romanorum tragicos tam magnum studium contulerit quaeque causa ei fuerit, cur tam multis locis operum suorum poëtarum tragicorum mentionem faciat. Itaque, ut hanc causam reperiannus, ante omnia demonstrandum erit, num argumentis firmis evinci possit, utrum Cicero, quod in universum ad diiudicandam tragoediae Romanae indolem ac naturam attinet, ab illorum poëtarum tragicorum, et ipsius populi Romani partibus steterit, neene. Priusquam igitur ad Ciceronis de hac re iudicium accuratius explanandum transeamus, cum de indole ac natura tragoediae Romanae, tum maxime de ratione, quae intercedat inter tragoediam Graecam et tragoediam Romanam, pauca verbis agamus necesse est.

Jam pro certo hodie habemus Romanos ad rem tragicam non sua sponte, sed incitationibus quibusdam, quae fabulosis narrationibus vel mythis inessent, perductos esse. Ex locis illis notissimis ap. Liv. VII. 2, Dionys A. R. II, 71 plane cognitum est histrionum Tuseorum artem non medioeriter Romanorum animos commovisse neque necesse est commemorare Livium Andronicum primum esse, qui fabulas tragicas in scenam inducere ausus sit. Atque etsi illi histriones vel poëtae ex alienis terris orti vel humili loco nati lucri faciendi causa artem illam tractabant eoruunque fabulae Romanis in imperio natis et in libertate educatis minus placeere poterant, quod illa ars nou modo ab educandi ratione, sed omnino a vita publica remotior esse videbatur, tamen iam illis priscis temporibus Romanorum animi, cum tamquam novum poësis genus nasci videretur, fabulis comicis et tragicis haud parum incitabantur, ita ut postea rem tragicam magis magisque auctam et ad altiorem quandam gradum evectam esse conicere possimus. Etenim cum anno 550 u. c. ludis plebeis, ludis magnis vel Romanis, ludis Megalensibus ars scenica magis magisque amplificaretur, singulis huius generis poëtis fabularum docendarum occasione oblata maiore magnus fabularum tragicarum et comicarum numerus eodem fere tempore ortus est. Atque quod ad ipsam illam tragoediam Ro-

¹⁾ Quae Ciceroni e tragoediis nota fuerunt. congressit p. 3—8.

manam veterem attinet, nobis hic erit premendum, quibus materiis poëtae usi sint in componendis fabulis, ut populo Romano placent eiisque favorem atque gratiam sibi pararent. Ac primum quidem in eligendis exemplaribus, quam rationem secuti sint, deinde ex componendi ratione, quo modo fabulas confecerint, tum quibus rebus usi sint, ut gravitatem et dignitatem illam vel affectum quendam tragicum fabulis suis innecterent, paucis verbis exponendum erit. Poëtas Romanos in primis ad illos celeberrimos poëtas Graecos Euripi dem, Sophoclem, Aeschylum animos suos intendisse inter omnes constat. Jam titulos fabularum singularium, quae hodie exstant, perlegen tem vix effugere poterit omnes fere illas fabulas in actionibus vel ingeniis eis conformandis versari, quae Romanorum sensui bene respondere videbantur. Quis enim est, qui neget ingenium illud severum, quod Atreo, vel illum veri amici sensum, qui Orestae insit, Romanorum auribus favere? Quod deinde ad componendi rationem attinet, poëtae Romani non sine utili consilio rationem eam sequebantur, ut in fabularum forma constituenda a Romanorum sensu haud alieni essent. Sie ne unus quiden ex illis poëtis auctoritate atque exemplo Graecorum tragoealias completeres ita inter se coniungere tentavit, ut illis unus idemque tenor subasset vel commune quoddam filum fabularum innexum videretur neque eis in mente venit seriem fabularum tragicarum, id quod apud Graecos fieri solebat, ludo satyrico concludere, cum sensui Romano offensioni esse satis persuasum haberent severitatem atque loquendi verecundiam, quae tragicis ingeniis inesset, comicorum hilaritate vel morum licentia, quae fabulis satyricis propria esset, commiscere et affectum illum tragicum, quo animi abrepti atque capti fuerant, rebus, quae risum moverent, subito ad iritum redigere. Ex quo resecandi studio item factum est, ut chorii partibus remotis fabulae e diverbiis et canticis constant, quibus actiones ipsae et ingenia singularium personarum continerentur. Poëtis probabilius visum est atque ad tragoeiae naturam accommodatus poëma tragicum, quo plus dignitatis atque severitatis ei tribuerent, ita componere atque conformare, ut tantummodo diverbia et cantica sese exciperent. Denique si quaeratur, quo modo factum sit, ut poëtae illam Romanorum propriam naturam fabulis admiserent, sine dubio sermonis illius tragici, quo ad tragicum affectum incitandum opus esse ultro apparat, in primis ratio habenda est. Quamquam enim tragicie Romanorum poëtae cum Graecis neque ex ingenio neque ex frequentia fabularum comparari possint, tamen illis diligentiam quandam ac sollertia in excelendo loquendi usu tragicō non defuisse eosque paullatim rem suam ad certam normam revocare studuisse concedere debemus. Adde, quod cum in universum omnes poëtae ex Euripide multa exprimerent et illius celeberrimi poëtae Graecorum tragicie vestigiis studiose ac libenter insisterent, posteriorum nonnulli, ut Pacuvius et Accius

etiam ad Sophoclis exemplaria accedere et Aeschyli fabulas magnificas et grandia huius poëtae ingenia imitari non dubitabant. Inde quoque, quod a Livio Andronico usque ad Accium res tragica ad gradum quandam exultum processit, sequi videtur etiam locutionem quandam nasci coepisse, quae tragicis et affectibus tragicis digna haberetur quaque aures Romanorum suavititer affici possent. Quare factum est, ut tragicum genus Romanorum ingenio atque moribus populi Romani tamquam innatum mox ad ipsam rei publicae naturam atque indolem aptissime se applicaret.

His igitur expositis videamus, quid Cicero ipse de indole ac natura Romanorum tragoediae senserit. De qua re utrum cum poëtis ipsis populoque Romano consenserit neene, diiudicabitur, si ex tota disputatione elubebit, utrum ea, quae modo in universum disputavimus, ad Ciceronis ipsius sententiam referri possint neene. Recognoscamus igitur ante omnia illam rem gravissimam neque facilem, utrum Cicero illam poëtarum Romanorum Graecos imitandi rationem laudaverit an vituperaverit, deinde, quomodo de Romanis Graecisque poëtis tragicis inter se comparatis iudicaverit. Ciceronem a studio poëtarum Graecorum haud alienum fuisse cum iam supra memoravimus, tum E. Langii dissertatio satis superque nos docet. Ex qua item constare videtur eum magis poëtis Graecorum scenicis, quam ceteris poëtarum generibus studuisse neque quemquam, si accuratius Ciceronis libros perlegerit, negaturum esse eum ex tragicis poëtis optime cognovisse studioque maximo amplexum esse illos solos tres principes Aeschylum, Sophoclem, Euripidem; cuius rei testimonio nobis esse possunt haud pauci loci Ciceroniani, quos Langius¹⁾ contulit. Quod qui consideraverit, eum concessurum esse arbitror Ciceronem optimis Graecorum tragicis poëtis laudem quandam tribuisse. Jam autem nobis hic in primis ordiendum videtur ab illo notissimo loco Tusculanarum disputationum libri I, 1 sqq., quo in universum de Romanorum et Graecorum ingenio disserens haec dicit: „sed meum iudicium semper fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuisserint, in quibus elaborarent“. Quibus accuratius perspectis dubium non esse putas, quin Cicero tragoediam Romanam, quamquam eam a Graecis esse translatam ipse concedit, tamen ea, quae a Graecis accepissent, melius facta atque exulta esse quam ipsa Graecorum exemplaria senserit. Ac profecto in diiudicandis singulis rebus Ciceroni nonnulla, quae Romani aut invenerant aut excoluerant, cum eis, quae Graeci praestiterant, comparata meliora fuisse videntur, praesertim cum Cicero, ut hominem vere Romanum se praestaret, ea, quae cum ad usum, tum ad rem

¹⁾ p. 57, 58, 59. Quanti aestimaverit singulos illos Graecorum tragicos, optime cognoscitur ex loco Or. 4, ubi Sophocli tamquam palmam poetarum tragicorum tribuere videtur ita disserens: „Nam in poëtis non Homero soli locus est — ut de Graecis loquar — aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel infra secundos“. cf. etiam de or. 3. 7. 27.

publicatum spectarent, pluris faceret, quam, quae ad artes litterasque et ad rerum cognitionem usui essent. Quae cum ita sint, cum Cicero nequaquam perspectum haberet¹⁾ iam ideo Graecorum ingenia Romanis praferenda esse, quod Graecorum litterae ex ipsis suis animi viribus et tamquam ex ipsa populi natura atque indole natae erant, mihi causa non esse videtur, cur ex eodem Tusculanarum disputationum loco conligere dubitemus Ciceronem illud Romanorum Graecos imitandi studium non modo non vituperavisse, sed ingenue probavisse, dummodo Romani e Graecorum exemplaribus ea eligerent, quae imitatione dignissima statuissent. Quod si ad rem propositam referimus, Ciceronem e Graecorum tragicis solos illos principes Aeschylum, Sophoclem, Euripidem ad imitandum aptissimos habuisse veri simillimum videbitur. Cuius rei fidem faciunt nonnulli loci²⁾, quibus tragicos Latinos una cum illis celeberrimis Graecorum poëtis nominat, unde etiam satis perspicuum fit Ciceroni quandam rationem inter tragediam Graecam et Romanam intercedere persuasum fuisse. Sed, ut rem ipsam accuratius definiamus, alter locus nobis proferendus erit, qui ad explanandam quaestionem haud parvi momenti esse videtur. Academ. prior. I, 3. 10 enim, ubi contra eos, qui nimium cupide omnia esse Romana contendebant, disputat, poëtas Romanos ipsos tragicos his verbis defendit: „Ennius, Pacuvius, Accius non verba, sed vim Graecorum expresserunt“. Ultro apparet his verbis indicari, qua ratione Latinos Graecorum fabulas in sermonem patrum convertisse Cicero senserit. Ac primum quidem nobis statuendum erit, quid sibi velit illa vis, quam Romanorum poëtas e Graecis expressisse Cicero affirmat. His verbis subiecerim sensum hunc: tragicos Romanorum poëtas non sola fabularum Graecarum argumenta in usum suum convertisse, sed quodammodo condendarum fabularum rationem Graecis propriam secutos esse, ita ut re tragica a Graecis accepta Romani ea, quae imitatione digna statuissent, Ciceroni etiam meliora fecisse viderentur. Romanos non serviliter Graecos esse imitatos Cicero iudicat, sed vim Graecorum eo expressisse, quod eodem quoque modo atque illi spectantium animos permovere studerent neque anxie ad Graeca exemplaria spectarent, sed iisdem tantum argumentis usi suas vires experirentur. Sed huic sententiae, quam Cicero hoc loco concepit, obstaré atque fere repugnare videtur alius locus de fin. I. 2. 4, ubi contra illos Graeculos, qui scripta Latina omnino contemnebant, disputans se mirari dicit, „cur in gravissimis non delectet eos sermo patrius, cum fabellas Latinas a d

¹⁾ cf. Lange p. 6.

²⁾ cf. de fin I, 2, 4, de opt. g. or. 6, 18, *ubi* oratoribus suadet, ut oratores celeberrimos Graecos imitarentur, praesertim 'cum nullum sit fastidium in versibus poëtarum Graecorum exprimendis', postquam in eis, quae anteedunt, haec locutus est: „Quid istas (sc. orationes) potius legum quam Graecas? sed tamen item Andriam et Synephebos nec minus Terentium et Caecilium quam Menandrum legunt, nec Andromacham aut Antiopam aut Epigonos Latinos reiciunt, immo Ennium et Pacuvium et Accium potius, quam Euripidem et Sophoclem legunt.“

bum e Graecis expressas non inviti legant^a. En habes sententiam plane contrariam, unde Ciceronem in iudicio de hac re faciendo sibi non constissee facile cognoscitur. Sed quaeritur, utrum e totius loci sensu atque conexu illa verba „fabellas Latinas ad verbum e Graecis expressas“ tam premenda vel, ut ita dicam, ad litteram intellegenda sint neque. Primum enim considerandum est Ciceronem hoc loco in eo maxime niti videri, ut, quantum disserimen inter se ipsum et tragicos sit, exponat. Increpans enim temeritatem eorum, qui libros de philosophia a se ipso conscriptos fontibus Graecis postponerent, aliquanto acerius atque studiosius illud disserimen, quod inter se et tragicos intercedat, ante oculos ponere studet contendens se ipsum, cum poëtae haud raro munere interpretum fungerentur, multo liberius Graecorum scripta pertractavisse. His igitur verbis de fabellis Latinis ad verbum e Graecis expressis Ciceronem certe non usurum fuisse existimaverim, nisi nimio quadam studio in contrariam partem disputandi commotus esset, ut talia diceret. Deinde dubium esse videtur, num ex hoc uno loco nobis configere licet Ciceronem omnes Latinorum fabulas e Graeco ad verbum conversas esse sensisse. Ut enim ex eis, quae proxime l. l. secuntur, configitur, Cicero ad exempla tantum duo, ad Enni Medeam et Pacuvii Antiopam, quas ad verbum ex Euripidis exemplaribus expressas esse diceit, respexisse videtur ita pergens: „Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Eunii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiecat, qui iisdem Euripidis fabulis delectari dieat?“ Itaque, ut exempla fabularum ad verbum conversarum afferret, Cicero duas has fabulas secundum exemplaria Graeca expressas nominavisse mihi videtur. Postremum denique hoc toto loco accuratius perpenso ac praecepue illorum verborum „quis enim tam inimicus paene nomini Romano est“ ratione habita cuique facile apparebit Ciceronem iis, qui se Latina scripta dicerent contemnere, teuste opprobrio dare voluisse, quod, si tantum Graecis faverent, sese inimicos nominis Romani exhibituri essent. Quae cum ita sint, iure item ex hoc loco conicere possumus Ciceronem, cum fabellas ad verbum e Graecis expressas non satis considerate iudicaret, tamen tanto patriae ac nominis Romani amore ductum esse, ut poëtas Latinos, etiam singulas eorum fabulas meritis translatianibus fortasse haud dissimiles existimavit, tamen hac illas Graecorum sententias refutandi occasione obliqua disertis atque apertis verbis defendere non dubitaverit. Omnino hic locus maxime idoneus est, ex quo cognoscamus, quantae offensioni Ciceroni fuerint illa nimia litterarum Graecarum studia hominum quorundam Romanorum, qui Latinas litteras oderunt, quantumque ipse nomini Romano et eis, quae Romani praestitissent, tribuere sit solitus¹). Ut igitur, unde exii,

¹⁾ Ut illud Ciceronis studium contra eos disputandi, qui Graecarum litterarum artiumque nimis amantes erant, melius inlustrem, mihi proferendus videtur locus Tuse. III, 19, 45, qui etiam ad artis poëticæ genus tragicum apte referri non possit, tamen satis idoneus esse videtur,

redeam, quod Cicero Acad. prior. loco 1. 3. 10 poëtas Romanorum tragicos non verba, sed vim Graecorum expressisse indicavit, id sine ulla offensione ita nobis intellegendum erit, ut eum, quamvis Romanos poëtas vestigiis Graecorum instituisse concedere debuerit, tamen Romanorum poëtarum tragicorum ingenii quidquam detrahere omnino noluisse putemus. Videtur autem ex eis, quae hueusque disputavimus, constare atque satis apparere Ciceronem poëtis Romanorum tragicis imitationem Graecorum, dummodo illam, quam dicit, vim Graecorum sequerentur et in fabulis suis exprimerent, nequaquam vitio duxisse eaque imitatione dignissimas habuisse fabulas illorum tragoediarum Graecae principum Sophoclis, Aeschyli, Euripidis. — Sed ad hanc quaestionem sat accurate tractandam alia res maxime valere videtur; quaeritur enim, utrum Cicero illis tribus Graecorum tragicis p a r e m admirationem ac laudem tribuerit necne. Ciceronis enim libros accuratius perlegenti cebri loci occurserunt, quibus Euripideos versus commemorat. Atque ex eis, quae Langius p. 57. 58. 59 disputavit, cognosci potest multo plures Euripideos quam Sophocleos apud Ciceronem extare locos, ita ut Cicero Euripidi magis quam Sophocli favisse videatur. Qua in re Langii sententiae accedo, qui Ciceronem in Euripide legendo maiore studio et delectatione quam in Sophocle hanc solam ob causam versatum esse probavit, quod Euripidis, quem dicunt, philosophi de scena sententiae graves cum ad omnes fere philosophiae partes vel ad rerum humanarum iustum cognitionem aptissime quadrarent, tum ipsi maxime placearent. Etiam si igitur, ut e nonnullis locis facile conligi potest, Cicero Sophocli omnium tragicorum poëtarum principatum¹⁾ tribuisse eiusque vera humanitate et eximia moderatione eodem modo atque hodie nos delectatus esse videtur itemque — si de Aeschylo quaeratur — Ciceronem ex eius ipsis magnificentia verborum satis magnam delectationem perceperisse veri simile est, tamen Euripidis illud ipsum philosophandi studium et illa

ex quo cognoscatur, quam graviter Cicero invectus esse videatur in eos, qui doctiore illa elegantia, qua poëtae Alexandrini uti solebant, delectabantur et in eos poëtas, qui Alexandrinos illos iam illa aetate imitabantur. Postquam enim versus quosdam Andromachae Ennianae fabulae commemoravit, Ennio his verbis patrocinatur: „O poëtam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur“. Cantores enim Euphorionis intellegendi sunt ii, qui temere Euphorionis, poëtae epicis et elegiaci Chalcidei, auctoritatem ac rationem sequebantur quicunque eius ‘cantus modosque tamquam recinere’ solebant. Sine dubio etiam ex hoc loco intellegitur, quantum Ciceronis interfuerit, ut patrium poëtam non modo defenderet, sed disertis atque apertis laudibus efficeret atque praedicaret.

¹⁾ Cf. locum, quem supra memoravimus, or. 4, deinde de div. I, 54, ubi Sophocles his verbis praedicatur: „Adiungamus philosophis doctissimum hominem, poëtam quidem divinum, Sophoclem“, de fin. 5, 3, de Sophocle admiratione atque delectatione dignissimo poëta dicit hoc: „Quem scis quam admirer quamque eo delectet“ et in eis, quae proxime secuntur, Oedipidis Coloniæ proœnium ‘molissimum’ appellat ‘carmen’, de fin. I, 2, 5, ubi ipse ab illo Electram vel optime scriptam esse dicit.

sententiarum libertas tautam admirationem ei inieciisse videtur, ut aliis Euripidis poëticis virtutibus aut neglectis aut non sat perspectis eum Sophocli et Aeschylo praferendum esse putaret. Itaque *quaesiverim*, quid nos impedit, quominus Ciceroni, quod ad Graecos imitandi rationem attinet, vim illam Euripideam, quae Romanorum tragediis inest, valde placuisse statuamus. Cuius rei gravissima causa ea esse mili videtur, quod cum Euripidis condendarum fabularum rationem, tum maxime illius poëtae sententiarum gravitatem atque severitatem ad populi Romani ingenium commodissime se applicare Ciceroni persuasum erat. Quamquam igitur concedendum est Ciceronem fortasse Euripidis vim vel eius poëticas virtutes non satis perspexisse, praesertim cum nullo eius librorum loco accuratius hac de re iudicium inveniatur, tamen illud magnum studium Euripidis fabularum legendarum eiusque sententiarum admirationem eo consilio ostentavisse videtur, ut cum omnibus Romanis, qui litteris imbuti atque eruditii habebantur, tum maxime populi Romani ingenio ac moribus satisfaceret.

Quibus expositis restat, ut ea, quae disputavimus, paucis verbis complectamur. Cicero, ut facile perspici potest, omnino rationem illam, ex qua poëtae Romanorum tragicie, ut in aliis artis poëtiae generibus fieri solebat, Graecos imitabantur, inter tragediam Graecam et Romanam intercedere non ignoravit. Neque illam Graecos imitandi rationem reprehendendam esse putavit, cum Romanorum poëtae exemplaria Graeca eligerent dignissima, quae imitarentur. Cum illo Ciceronis tempore iam exemplaria tragediae Graecae perfectissima Romanis sub oculis posita essent, Cicero poëtas ipsos ideo laudavit, quod solos illos principes Aeschylum, Sophoclem, Euripidem imitandos sibi proposuerunt. Ex quibus tragediae principibus illam Euripidis vim ac rationem maxime adamavit eiusque fabulas ad imitationem Romanis poëtis accommodatissimas existimavit hanc solam ob causam, quod illa vis Euripidea illius aetatis hominibus maxime respondebat. Etiamsi tragicorum illorum singulorum virtutes vel vitia, quae ad eorum artem spectant, non perspexit vel accurate cognovit, tamen tragicarum fabularum puleritudines ac venustates poëticas saltem sensisse videtur. Quas si non sensisset, certe Euripideos versus, qui sententiarum vel proverbiorum speciem prae se ferunt, populo Romano ante oculos non posuisset. Omnino Ciceronis de haec re iudicium ita conceptum est, ut non tam ex suo ipsius ingenio profectum esse videatur, sed potius a populi universi Romanorum sententia quodammodo dependeat. Si deinde quaeritur, quid Cieero de poëtis Romanis tragicis cum Graecis comparatis iudicaverit vel quanti illos aestimaverit, nobis hoc tenendum ac respondendum esse videtur: „Cieero, quamquam is non fuit, qui litteras Graecas contemneret vel despiceret, ea quoque, quae Romani proferrent, non esse contemnenda existimavit. Ei ipsi in Graecorum tragicos

poëtas summam laudem atque admirationem conferendam esse valde fortasse persuasum fuit; sed Romanorum poëtas tragicos illis non inferiores fuisse, si minus sat disertis argumentis firmare, tamen, ubicumque et quandocumque potuit, ostendere ac probare studuit. Ex mea quidem sententia facere non possum, quin Ciceronem iustum quandam existimationem poëtis Romanorum tragicis tribuere studuisse coniciam. Sed, ut tanti aestimaret tragœdiā Romanam, is, ut supra tetigimus, et nimio patriae amore et ardentī studio contra eos disputandi, qui litterarum Graecarum nimis amantes fuerunt, commotus ac perduetus esse videtur.“

Sed haec hactenus. Progrediendum nobis est et, ut ea, quae de Ciceronis iudicio statuta habemus, accuratiū confirmemus, necesse erit demonstrare, quantum tragœdiae Romanae amorem atque admirationem conceperit quaque ratione illum amorem in singulis scriptorū generibus p̄ae se tulerit. Ac primum quidem Cicero familiaritatē, quae ei cum tragicis Romanis erat, in orationib⁹ ostentare studebat neque minus coram senatu quam iudicib⁹ tragœdiā adhibebat, qua sententias suas commendaret vel probabiliores faceret. Namque haud paucis orationum locis versus ex hac illave fabula sumptos aut ad exornandum sermonem ipsum aut ad confirmandam sententiam inseruit, veluti, ut sermonem faceret grandiorē, singulos tragicorū locos addito vel indicato nomine poëtae laudare solitus est: cfr. pro Rab. Post. 11. 29 „oderat vestitum etiam illum, sed sine eo nec nomen illud poterat nec munus tueri. Ergo, aderat vis“, ut ait poëta ille noster „quae summas frangit infirmatque opes“.¹⁾ Deinde Cicero nonnullis locis verba tragicā tam tecte atque occulte admisicuit, ut e conexu orationis elici vix possint. Hoe autem modo quin colorem quendam tragicū sermoni tribuere studuerit, dubium non est. Itaque ea, quae leguntur in or. pro Caelio c. 24 „ex hac igitur domo — mulier — perhorrescit“ iam Mureto ex Euripid. Hyppolit. v. 418 adumbrata videntur; item Phil. XII. 12: ‘Etenim Mars pignerari solent’ tragicam dictionem redolent. Item in or. in Cat. I. 5 Ciceroni illud „perge, quo coepisti, egressere aliquando ex urbe‘ patent portae, proficiscere“ dicenti Accii Phoenissarum fabulac verba similia „Egressere, exi, cefer te, elimina urbe!‘ in mente fuisse non sine iure Ladevicius Vindic. p. 34 statuit. Per multis denique locis²⁾ Cicero versus tragicos adiecit solidos, quos hic enumerare longum est. Omnino autem eum illum morem versus tragicos orationib⁹ inserendi tam libenter secutum esse eo maxime probatur, quod cum perfecti oratoris dicendi arte artem historionalem

¹⁾ cf. etiam or. pro Murena 29. 60, pro Plancio 24, 59, quo loco coronam audientium revocat ad Accii versus, qui ex Atreo sumpti esse videntur: „Vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis“. Audias deinde ea, quae porro adiecit: „cetera, quae scripsit gravis ille et ingeniosus poëta, scripsit non, ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et ad laudem excitaret.“ pro Archia poëta 9. 22, ibid. 10. 27.

²⁾ cf. pro Pis. c. 33, Philipp II, 3 Phil. XIII, 21 et alios locos.

et tragicam quodammodo arete coniunctam esse voluit. Perfecti enim oratoris virtutes complectitur de or. I, 28 sat dilucidis verbis his: „In oratore acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, memoria iuris consultorum, vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus“, unde quoque facile cognoscere possumus, quantam operam Cicero in oratione excolenda collocaverit quantumque poëtis eorumque loquendi usui débuisse ipse sibi visus sit. —

Nunc veniamus ad alia Ciceronis scripta, in quibus non minus studii tragicorum poëtarum assidui vestigia inesse animadvertas. Epistulas enim Cicero libenter exornavit sententiis a tragoedia Romana sumptis neque male iam Naeckius de fabula togata p. 3 usum illorum versuum tragicorum eam in partem valere sensit, ‘ut, quam familiariter eruditiores maxime Romani hoc litterarum genere nisi sint, cognoscatur’. Omnino nobis tenendum est Ciceronis in his epistulis ad familiares scriptis maxime intertuisse, ut usu illorum tragoediae versuum vel sententiarum venustatem atque elegantiam sermonis augeret. Atque quantum venustatis studium, quod cernitur in Cicerone, veteris tragoediae habeat, intellegitur ex epistul. ad. fam. V. 12. 7. VII, 6. 33. IX. 16. 4. XV. 6. 1, VII. 1. 2, VII, 16. 1, VII, 6. 1, VII, 6. 2, VII, 1. 1. IX, 22. 1 VII, 30. 1 VII, 28. 2 VII, 6. 6. IX, 26. 2, VII, 33. 1, ad Atticum VIII, 11. 3, VII, 26. 1, XIV, 4. 1. XV, 11. 3 XIV, 12. 2, XVI, 2. XIV, 20. 3. Ad quorum locorum conexum sensumque tragici versus, quos inseruit, quam apte pulchreque quadrent, ut inlustrem, unum exemplum epist. ad. fam. VII. 16. 1 proferam. Hanc enim epistolam, quam ad Trebatium in Britannia invite morantem scripsit, velut si solacium aliquod amico suo praebaret, his verbis sat salsis atque facetis incipit: „In Equo Troiano ais esse in extremo ‘sero sapiunt’. Tu tamen, mi vetule, non sero. Primas illas rabiosulas sat fatuas dedisti; deinde quod in Britannia non nimis φίλος τοπος te praebuisti, plane non reprehendo; nunc vero in hibernis iniectus mihi videris: itaque te commovere non curas. ‘Usquequaque sapere oportet: id erit telum acerrimum’. Eo enim, quod illud ‘sapiendi’ consilium tam presse profert, Cicero suam ipsius laetitiam indicare voluit, quod Trebatius illius externae terrae moribus ac vitae se iam accommodavisse visus esset. Exemplo etiam sit ad Att. I, 18. 1, ubi, postquam in eis, quae antecedunt, conquestus est, quod sibi homo deesset, quo cum omnia, quae se cura aliqua afficerent, una communicaret, qui se amaret, qui saperet, ad hanc querimoniam accuratius explicandam haec adiecit: „Abest enim frater ὀφελέστατος et amantissimus Metellus — non homo, sed — ‘litus atque aér et solitudo mera’, quibus postremis verbis versum tragicum contineri facile sentire possumus.¹⁾ Qui eiusmodi locos epistularum perlegerit, eum concessurum

¹⁾ Ribbeck, Tragicorum Romanorum fragmenta, inc. inc. fab. 153.

esse arbitror versus illos tragicos sat idoneos fuisse, qui elegantiam et urbanitatem sermonis, qua in his epistulis uti Ciceroni maxime decorum fuisse videtur, valde augerent et amplificarent. Omnino non obligeendum est epistulas a Cicerone scriptas esse ad viros, quibuscum arctissimis aut familiae aut amicitiae vinculis coniunctus erat.¹⁾ Hos autem eur veram suam de tragedia sententiam celaverit, cum causa probabilis inveniri non possit, iusto plus possumus contendere iudicia, quae de tragedia Romana vel de singulis fabulis in epistulis inveniuntur, ab eo aperte atque ingenue concepta ideoque plurimi aestimanda esse. Verum etiam inde, quod versibus sententiisque tragicis tam apte ac prudenter adhibendis sermonem ipsum latinum excolare studebat, tragediam Romanam in maximo honore cultaque apud eum fuisse apparet. — Deinde Cicero etiam in libris philosophis et rhetoriciis creberat in tragicorum poëtarum versibus sententiisque laudandis, ita ut dubitari nequeat, quin item eis, qui illos libros legebant, maximam delectationem attulerit. Ac primum quidem in philosophiae libris non defuit, quomodo ad singulas res demonstrandas vel accuratius explicandas sententias poëtarum Romanorum tragicorum teete adhiberet. Ac, ne exempla desint, locos afferam singulos, veluti de nat. deor. I, 42, 119: ‘ommitto Eleusina sanctam illam et angustam, ubi initiantur gentes orarum ultimae’, quibus verbis versus Ennianus Ribbeckio²⁾ contineri videtur, quem tribuit Ennii fabulae, quae dicitur, Erechtheo, ita ut illa verba in prologo ab Ennio posita putanda sint, vel de fin. V. 11, 31, ubi Ennii versum ex Aleumaeone fabula immistum legimus: „quis est enim aut quotusquisque, cui mors, eum appropinquet ‘non refugiat timido sanguen atque exalbescat metu‘. Simili modo pavore vel metu mentem loco moveri accuratius docet exemplo, quod sumpsit ex eadem Ennii fabula in Tusc. IV. 8, 19 et versum Enniana fabulae Thyestae in Tusc. III, 12, 26 adhibuit, ut ostenderet, quanta constantia in doloribus perferendis esse posset. Eiusmodi exempla³⁾ cum longum sit enumerare, iam ex eis, quae attulimus, exemplis illud unum nobis configere licet Ciceronem eiusmodi sententiis tragicorum poëtarum adhibendis id certe effecisse, ut res ad philosophiam spectantes elegantia quadam Latino sermone tractaret. Neque vero id ab eius ipsis consilio alienum fuit, cum id maxime ageret, ut etiam philosophiae studia, quae ad vitam et mores hominum pertinent, a Romanis pluris aestimarentur.⁴⁾ Deinde in libris, qui ad rem rhetoricae spectent, quod sum-

¹⁾ E. Lange p. 3.

²⁾ de trag. Rom. p. 183.

³⁾ cf. Tusc. I, 28, 69, cui loco similiter subrepit versus tragicus:

„Sub axe posita ad stellas septem, unde horrifer
Aquilonis stridor gelidas molitur naves“

vel Tusc. II, 14, 33 vel ibid. II, 27, 67 vel II, 7, 19.

⁴⁾ Cicero omnino sermonem ipsum tragicum, ut ad omnem vereundiam et severitatem

mum studium atque amorem tragediae Romanae prae se tulit, mirum videri non debet; cum oratorum cum tragicis poëtis cognationem premere non dubitaret. Quam rem attingit de orat. III. 7. 27, ubi Crassum ex sua ipsius sententia affirmantem inducit Graecorum poëtis tragicis Aeschylo, Sophocli, Euripidi, quamvis eorum scribendi atque loquendi genera dissimilia essent, tamen parem paene laudem tribui: inde igitur facile apparet, Ciceronem, ut oratorum loquendi genera inter se dissimilia fuisse persuasum habuit, ita quoque ad poëtas tragicos diiudicandos hoc discrimen maxime valere sensisse. Neque desunt argumenta, ex quibus conligi potest, Ciceronem quandam scribendi generum differentiam in singulis quoque Romanorum tragicis poëtis cerni posse intellexisse, etiamsi non satis accurate perspexisse videtur, quibus maxime rebus singuli illi Romanorum tragicci inter se differentia quantaque illa differentia esset. Hie autem ante omnia nobis non obliviscendum est Ciceronem iam, ut verum artis rhetoricae praceptorum se praebaret, rationem quandam inter artem tragicam et inter dicendi artem intercedere statuere voluisse. Nam severitate et gravitate sermonis tragicci et eiusmodi locis vel singularium fabularum scenis permotus oratoribus suasit, ut arti tragicae se quodammodo accommodarent. Quod eo etiam confirmatur, quod Cicero ipse teste¹⁾ Plutareho in Roseii et Aesopi histrionum disciplinam se dedisse fertur. Quantum autem ars tragicorum histrionum ad vim oratoriam melius proferendam atque commentandam valuerit, Ciceronem optime cognovisse intellegitur ex loco de oratore I, 59, 221: 'Quis neget opus esse oratori in hoc oratorio motu statuque Roseii gestum et venustatem'.

Jam autem in haec quaestione tractanda eo progressi sumus, ut, quid de arte tragicarum fabularum agendarum deque scenae tragicae apparatusibus senserit, paucis exponamus. Quarum rerum Ciceronem summam intelligentiam et notitiam habuisse item ex eius libris cognosci potest, ita ut inde quoque magno cum studio in tragicis poëtis eum occupatum fuisse nobis lieeat concludere. Quot quasque fabulas penitus cognitas habuerit vel maxime admiratus sit, infra videbimus. Hie ante omnia nostrum est Ciceronis rei tragicae intelligentiam, quoad fieri licet, firmis argumentis probare. Atque arti eum

compositum, ita quoque ad mores et animos ad virtutem honestatemque conformanda aptissimum habuisse videtur neque ignorare potuit sermonem illum tragicum sententiarum, quibus utilia vitae praecepta continentur, plenissimum esse Romanosque omnium populorum eiusmodi sententiarum, quae ad vitae sapientiam spectent, amantissimos fuisse. Neque alia causa fuisse videtur, eur Cicero scriptis suis philosophis tam multas tragicorum sententias inseruerit. Ac profecto certe neminem esse putaverim, qui eiusmodi dicta, qualia inveniuntur apud Ciceronem Tusc. IV, 33, 70 „Flagitiis principium est nudare inter cives corpora“, de fin. II, 13, 41 „Nimum boni est, cui nihil est mali“, Tusc. V, 18, 52 „Proinde ita parent se in vita, ut vinei nesciant“, sive in scena cum tragica severitate proferebantur, sive legebantur, ad excolendos bonos mores valuisse non intellegat.

¹⁾ Vit. Cie. e. 5.

histriorum tragicorum, quos optimi fabularum interpretis munere fungi bene sciebat, maxime favisce satis luculentae declarant adnotationes, quas in scriptis rhetoriceis fecit, e quibus non modo intellegimus, quantopere versatus fuerit in diiudicauis singulis tragicorum poetarum locutionibus, sed etiam, quibus voeis gestusque virtutibus histrio excellere debuerit, ut populo placearet. Sie de orat. III, 58, 217 de vocis genere agens plura exempla e tragicis histriorum partibus affert. A quo artis histrionalis studio illud quoque praeceptum profectum esse videtur, ex quo oratores voe gestuque tragoeorum in dicendo Cicero uti voluit. Namque interdum re vera oratori magna vocis vi opus esse arbitratur, ita ut similiter atque tragoedi 'vocem a gravissimo sono usque ad acutissimum sonum recipere et quasi quodammodo colligere debuerint'. Deinde nonnulla alia, quae ad artem histriionalem spectant, apud Ciceronem leguntur. Compertum enim ex eo hodie habemus scenicos non optimas, sed sibi accommodatissimas partes elegisse (de oft. I, 31, 114) itemque statarias et motorias partes et eas, quae ex duabus rationibus mixtae fuerint, discernere solitos esse (Brut. 30, 116). Nonnulla quoque accepimus, quae nostros animos haud medioeriter capiant, veluti personas superioribus temporibus non adhibitas esse nisi in partibus, quae ad feminas pertinebant ex Ciceronis epp. ad fam. VII, 6 adparet, quo Ennii Medea faciei colore indueto et manibus gypsatisimis ostendi dicitur. Postea cum personae inducerentur, Cicero, cur spectatores fabulam immoto vultu exciperent, ea de causa haud mirum censem, quod personis adhibitis vultus obscuratur atque recedit, quo animi moveantur (cf. de or. III, 59, 221). Perspicuum est Ciceroni partes sine personis datas, cum rei ipsius naturae accommodatores fuerint, magis placuisse. Namque eum omnia in ore et in oculis esse voluisse indicat locus de or. II, 46, 193 „quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabulae? tamen in hoc genere saepe ipse vidi, ut ex persona mibi oculi hominis histrionis ardere viderentur, ut sua sponte aliena dicentis.“ Tum ex nonnullis locis concludere possumus, quale iudicium sibi fecerit Cicero de scenae, qui induci soliti sunt, apparatibus. Ad hoc iudicium inlustrandum aptissimus esse videtur locus epist. ad. fam. (VII, 1, 1.), ubi estimatorem quandam Spurium Maecium, cuius auctoritate atque iudicio Pompeius in praeparandis ludis illis celebrerrimis usus est, his sane salsis verbis perstringit: „nobis autem ea perpetienda, quae Sp. Maecius probavisset“. Unde Ciceronem pompaे splendidae atque apparatum magnificiorum, qui in ludis illis Pompeis a. 699 u. c. celebratis adhibebantur, haud parum piguisse facile appareat. Sed, ut melius cognoscamus, quantopere scena nimius ille splendor atque apparatus magnifici Ciceroni displicerint, ea quoque nos considerare oportet, quae proxime l. l. secuntur: „apparatus spectantis tollebat omnem hilaritatem: Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytae-

mnestra? aut in equo Troiano craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? quae popularem admirationem habuerunt, tibi nullam delectationem attulissent!“ Videmus igitur Ciceroni eiusmodi rerum varietatem, qua spectantium animi non caperentur, sed potius prohiberentur, quominus fabularum puleritudines poëticas sentirent, omnino displicuisse, ita ut eum de his rebus, cum iam excutius quoddam iudicium conceperit, cum populo ipso non consensisse satis eluceat.¹⁾) Tum Ciceroni artem tragicam histrionalem summae delectationi atque admirationi fuisse inde quoque probatur, quod illius aetatis tragoediae actores celeberrimis laudibus cumulare atque exornare non neglexit. Sic Roseum perfectissimum artis actoriae exemplar appellat de or. I, 61, 258 ita disserens de oratoribus: „Voluisti enim in suo genere unum quemque nostrum quasi quandam esse Roseum“. Etiam si in comoediis ad fabulas palliatas recitandas et agendas apertissimus erat, tamen cum in tragicis fabulis haud minori admirationi fuisse populo Cicero or. 31, 109 indicare videtur his verbis: „Sed quid poëtas divino ingenio profero? Histriones eos vidimus, quibus nihil posset in suo genere esse praestantius, qui non solum in dissimillimis personis satis faciebant, cum tamen in suis versarentur, sed et comoedum in tragoediis et tragoedum in comoediis admodum placere vidimus: ego non elaborem?“ Quia verecundia de Roseio mortuo locutus sit, intellegitur ex or. pro Arch. 8, 17: „quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roseii nuper morte non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse“. Artis igitur magnitudine tam inflammatu atque incensus erat, ut ei vim quandam aeternam tribuere non dubitaret. Eodem Cicerone auctore (pro R. com. e. II^c, compertum habemus Roseum discipulos, ut Erotim et Panurgum in domum et in disciplinam suam recepisse atque, in quanto honore Roseius magister eiusque discipuli apud populum ipsum fuerint, eodem loco magno cum studio illustrat. Quem Roseius excoluerat, is, ut ex hoc loco perspici potest, benevolē a spectantibus accipiebatur, cum is, qui e schola medioeri prodierat, vituperari vel etiam e seena sibilis explodi posset. Nec alii nisi Roseio lieuit aut animo aut corpore interdum remissum esse; cf. Cie. de orat. I, 27, 124: ‘noluit’ inquit ‘hodie agere Roseius aut crudior fuit’. Deinde praeter Roseum Aesopum in partibus tragicis agendis maxime versatum fuisse Plutarchus vit. Cie. e. 5 testatur. Cicero eum (pro Sestio 56, 120) summum artificem appellat; ibid. 58, 123, de or. I, 61, 259 laudat vocem eius praeclarām,

¹⁾ Quod populi de hac re iudicium, ut paucis attingam, iam illa aetate homines maxime eo delectari cooperunt, quod illorum poëtarum praestantissimorum fabulas maximo cum apparatu atque pompa in seena induetas spectabant. Frequentabant enim theatra non tam discendi, sed potius spectandi studio commoti.

qua in Eurysaeis partibus agendis utebatur itemque praedicat actionis et orationis vim eodem orationis Sestianae loco, quo fortissimum actorem eum nominat. Animos autem ita motos esse, ut gemitu et fletu etiam inimici atque invidi excitarentur, confirmat pro Sest. 57, 121, eumque partium suarum ingenio atque argumento completum ea, quae circa eum acciderint, omnino neglegere potuisse Cicero de div. I, 37, 80 tamquam more studiosissimi artium iudicis his verbis declarat: ‘vidi in Aesopo tantum ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quaedam abstraxisse a sensu mentis videretur’.¹⁾

Sed ut Ciceronis de hac re iudicium in clariorem lucem proferamus, quo animo populus ipse singulas fabulas, quae ei placebant, persecutus sit et audiverit, iam paucis exponemus. In universum constat populum Ciceronis tempore maximam histrionalis tragicae artis admirationem et delectationem percepisse. Namque quam eruditas et quam teretes aures habuerit populus Romanus vel quam acri pulcritudinis poëticæ iudicio usus sit, ex ipsis locis Ciceronianis perspici potest. Quantulumcunque enim vitium in recitandis versibus contra syllabarum numerum vel modum commissum est, sibilis a populo vituperatum esse declarant loci, ut de or. III, 50, 196, or. 51, 173, paradox. 3. 2. ²⁾ Nonnulli illius aetatis homines tam bene singulas fabulas pereperunt, ut, quae fabula scenae traderetur, iam ex primis tibiae sonis cognoscerent, cuius rei testimonio nobis est locus Ciceronianus acad. pr. II, 7, 20, quo Cicero Lueullum haec dicentem facit: „quam multa, quae nos fugiunt, in cantu exaudient in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibieinis Anttiopam esse aiunt aut Andromacham, eum id nos ne suspieemur quidem.“ Sed Romanos non modo animos ad has aurium delectationes pronos habuisse, verum etiam a tenerioribus affectibus, quales res tragicæ excitare solent, haud alienos fuisse, optime idem ipse Cicero ostendit. Namque tragicam scenam aut aliquam personam tragicam adeo animos capere potuisse, ut aut obstupfierent, aut maererent, exempla singula docent, ut Tusc. I, 44, 106 ‘Eece

¹⁾ Commemoratione dignum esse videtur Ciceronem de eis, qui illos celeberrimos sequerantur, histrionibus, non tam bene sensisse. Andromachae enim Eunianaes partes, quarum celeberrimum canticum se antea magno opere admiratum esse de or. III, 26, 102 satis indicat, postea, etiamsi a populo cum plausu acceptae erant, tamen in epist. ad Att. IV, 15, 6 improbat, cum Autiphontis histrionis, qui has partes in Iudis Apollinaribus dedit, staturam et vocem se non satis ad has partes aptam et idoneam invenisse dicat.

²⁾ de or. III, 50, 196: „quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offendsum est, ut aut contractione brevius fieret aut productione longius, theatra tota reclamant“, or. 51, 173, „In versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior; nec vero multitudine pedes novit nec ullus numeros tenet, nec illud, quod offendit, aut eur, aut in quo offendat, intellegit, et tamen omnium longitudinem et brevitatem in sonis sicut acutarum gravinque vocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocavit“. parad. 2. 3 „histro, si paullum se movit extra numerum aut si versus pronuntiatns est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur“.

alius exoritur e terra, qui matrem dormire non simat, haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur, vel de fin. V, 22, 63 ‘Qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur, cum illa dicuntur: ‘Ego sum Orestes’ contraque ab altero: ‘Immo enim ego vero sum’.“ Praeterea Cicero optime cognovisse videtur, quam populi sensus maxime theatro perspectus sit quantumque tota tragoedia ad populi studia de re publica excitanda et acuenda valuerit.¹⁾ Ac profeeto quidem sententiae, quae in tragicis fabulis inveniuntur, sine dubio satis dignae videbantur, quibus doce- retur, quid rei publicae salutare esset, quid eos, qui cives regerent, decretet, veluti legimus in Accii Brut. fr. III v. 39: „qui recte consulat, consul cluat“ vel Astyanaet. frag. IV v. 169 „Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant alienas, suas ut auro locupletent domos“, vel. Acc. Epinausimach. v. 314: „Probis probatum potius quam multis fore“, vel. Acc. inc. fab. v. 651: „Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni.“²⁾ His similibusque sententiis populi ipsius studia, quae ad rem publicam spectent, non modo excitari, sed etiam magis magisque augeri debere cum hodie nos, tum Cicero illo tempore eo melius perspicere potuit. Ceterum non dubium est, quin Cicero, si ipsi non placuisset haec illave tragica scena vel persona, illius populi iudicandi studii certe mentionem non facturus fuerit. Quare Ciceronem locis illis, quibus populi iudicium commemorat, suum quoque iudicium scite admiscuisse coni- cere lieet.

Haec omnia, quae disputavimus, si memoria repetimus, Ciceronem in universum haud exiguum laudem et admirationem tragoediae Romanae tribuisse statuere cogimur. Hanc ipsam ob causam, quod tam magnum studium in hoc artis poeticae genus contulit, omnino dubitari nequit, quin Cicero de tragoedia Romana non aliter senserit, quam re vera dixit. Cur autem in tanto honore cultuque tragoediam Romanam habuerit, nulla alia causa potest

¹⁾ Hoc sibi persuasum fuisse ipse profitetur in or. pro Sestio c. 56—58, ubi legimus haec: „Neque poetae, quorum ego semper ingenia dilexi, temporis meo desuerunt eaque populus Romanus non solum plausu, sed etiam gemitu suo comprobavit“ vel ibid. 54, 115: „Comitiorum et contionum significations sunt nonnumquam vitiatae atque corruptae: theatrales gladiatoriique confessus dicuntur omnino solere levitate nonnullorum emptos plausus exiles et raros excitare“ et ibid. 118: „Et quoniam facta mentio est ludorum, ne illud quidem praetermittam in magna varietate sententiarum nonquam ullum fuisse locum, in quo aliquid a poeta dictum cadere in tempus nostrum videretur, quod aut populum universum fugeret aut non exprimeret ipse actor.“

²⁾ Verba poetae ab histrione ad rem publicam bene apteque relata populo nonnumquam maxime placuisse docet exemplum apud Ciceronem in ep. ad Att. II, 19, 3, ubi testatur Diphilum tragoedum, cum in Pompeium ipsum praesentem petulanter inventus haec verba recitaret: „nostra miseria tu es Magnus“ a spectantibus milieis coactum esse dicere ea et haec: „candem virtutem istam veniet tempus cum graviter gemes“. Quibus, ut causam afferat, eur tanto plausu populus verba poetae comprobaverit, satis prudenter haec adicit Cicero: „nam eiusmodi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico Pompei scripti esse videantur.“

inveniri, quam immodeius ille patriae amor, quo, quominus de Romanorum operibus aliter sentiret, quam diceret, ex omni parte prohibitus est. Ut omnibus illius aetatis hominibus, qui litteris eruditi erant, ita quoque Ciceroni Romanos in omnibus litterarum artiumque generibus a Graecis pendere satis exploratum erat. Jam cum nimia de se ipso opinione ductum se Demostheni eloquentia vel Platoni philosophia praestare putavisse facile concedendum est; contra non est obliviscendum Ciceronem de omnibus eis, quae Romani praestitissent vel excoluissent, miti mollique iudicio perseveranter usum esse. Popularium enim suorum opera, praesertim si ea cum Graecis comparavit, cum laudibus ornare atque augere nunquam neglexisse supra vidimus, etiam si cum ad Graecorum litteras magno cum studio acenbusse negari non potest. Immo vero equidem cum illa ipsa humanitate atque venustate Graecorum propria, quam sibi tamquam innatam esse haud raro profitetur, comitom tam bene atque elementer de Romanorum litteris artibusque sensisse contendem. Deinde mirum videri non debet, quod Cicero, quo patriae amore erat quantaque operum suorum laude florebat, id maxime agebat, ut Romanos ad litteras et artes colendas identidem excitaret eorumque animos Graecorum exemplaribus sub oculis positis tamquam ad se ipsos advoearet. Tum, ut supra vidimus, illa aetate fuerunt, qui Graecorum linguae, artis poeticae, philosophiae nimis studiosi essent; quorum opinioni a patriae amore alienissimae quod Cicero sensum illum vere Romanum, qui Romanorum operum proprius erat, maximo cum studio opponere non destitit, ei summae laudi tribui debere facile appareret. Tragoediae autem ipsi Romanae cum praeceps sensum illum vere Romanum vel Romanorum ingenio ac moribus maxime accommodatum inesse ex eis, quae disputavimus, satis superque eluecat, inde quoque causam repetendam esse putaverim, cur Romanorum tragediae et arti tragicae histrionali tam amicus fuerit. Praeterea non nihil ad hanc rem accuratius confirmandam id facere videtur, quod omnino, cur de arte poetica singulisque poetis temere iudicare debuerit, causa probabilis inveniri non potest. Namque cum a rebus poeticiis diiudicandis non tam prope abesset, quam a reliquis, quibus ipse deditus erat, litterarum generibus, iam de illis acquiore animo, quam de his iudicia sua concipere potuisse contendere possumus.

At facile mihi quispiam opponat sibi mirum videri, cur Cicero, cum Romanorum patriae eorumque litterarum tam amans esset, tragediae praetextatae, quam ex ingenio Romanorum ipsorum profectam esse constat, ne uno quidem loco aperte atque diserte mentionem faciat: cum tamen contra illos disputans, qui litteris Graecis praeceps indulgerent, hoc argumentum neglegere non deberet. Neque ullus locus invenitur, quo fabulae praetextatae originem ab ingenio ipso populi

Romani ductam esse dieat. Loci enim, qui leguntur Cat. Mai 6. 20, ad Att. XVI. 5. 1, de div. I. 22. 44, ita comparati esse videntur, ut cum singulis illarum fabularum locis delectatum esse tantummodo cognosci possit. Itaque fortasse haud immerito talia mihi opponi posse videntur. Sed egoquidem causas proferendas esse putaverim tres, quibus **talia** prorsus reicienda esse censere cogar. Primum enim putaverim Ciceronem, si hanc rem accuratius premendi occasio quaedam opportuna ei oblata esset, eam certe non praetermissurum fuisse, ita ut, cum concitatiore quodam disputandi studio se non coactum esse arbitraretur, omnino huius rei non tam presse rationem habere sibi visus sit. Deinde si illos locos, quos modo supra memoravimus, accuratius perscrutatus eris, Ciceronem his locis Naevianaæ fabulae, cui inscribitur, Lupo verecundiam quandam debitam vel piam memoriam tribuisse, in Accii Bruto illud Superbi Tarquinii somnum copiose descriptum laudavisse invenies. Ex hæ ipsa re cum cum aestimandi rationem, qua in fabulis illis e Graeorum poëtis tragicis expressis utebatur, eandem in diiudicandis illis praetextatis fabulis secutum esse plane cognoscatur, inter has et inter illas nullum disserimen quoddam, quod magni momenti esset, interesse sensisse videtur. Quae cum ita sint, Ciceronem suum de hæ re iudicium non in medio reliquisse, sed iusto et aequo animo concepisse nobis statuendum est. Postremum denique — id, quod ad illam obicientis causam refellendam maxime valere videtur — Cicero, si quaeratur, utrum eius iudicium ad ea, quæ hodie de indele ac natura tragediae Romanæ statuta habemus, referri possit neene, iam ut ex eis, quæ hæ disputationis parte exposuimus, conligi potest, nequaquam satis accuratam aut subtilem sententiam de origine vel de tragediae, quæ dicitur, oeconomia sive de componendi ratione habuit. Quare mirum non invenias, quod huius tragicæ Romanorum generis singularem quandam mentionem facere omisit. Sane quidem Ciceronem effugere non potuit poëtas in fabulis illis condendis materiam e Romanorum historia sumptam adhibuisse; sed, si de pretio poëtico quaeratur, is has fabulas domesticæ Romanorum historiae desumptas nequaquam pluris fecisse videtur, quam illas e Graecorū exemplaribus translatas, praesertim eum Romanorum animi codem modo his atque illis fabulis commoverentur. Omnino delectationi maxima ei erat, quod cunetae fabulae, et praetextatae et illae secundum Graecorum exemplaria compositæ, cum sermone Latino scriptæ essent, non modo ad lingua Latinam excolendam, sed ad sensum vere Romanum augendum vel ad populi Romani rei publicae studia acuenda maxime valebant. Accedit, quod veri non dissimillimum est Ciceronem, cum fabulas praetextatas serius quam illas a Graecis acceptas apud Romanos exortas esse bene sciret, etiam eas, quamvis earum argumenta ex historia Romana hausta essent, tamen Livio Andronico praeceunte a Naevio Accioque saltem secundum poëtarum

Graecorum morem vel condendi rationem componi solitas esse sensisse, ita ut re vera inter haec duo tragicae Romanorum poësis genera nullam differentiam interesse Ciceroni plane persuasum fuerit.

His igitur ad finem perductis in eo sumus, ut, quid Cicero de singularibus Romanorum poëtis tragicis iudicaverit, examinemus. Hanc quaestionem tractare eo maioris operae pretii esse videtur, quod inde magis perspicuum fiet, utrum Cicero de tragoedia Romana satis accurate atque exquisite iudicia sua conceperit neene.

II.

Proximum est, ut, quid de *Livio* senserit, paucis exponamus. *Livium* enim *Andronicum*, quem fabulam tragicam primum docuisse constat, Cicero de tragoedia Romana eo bene meruisse sentit, quod fabulas Graecas solidas sincere et ad verbum in lingua Latinam convertit. Quamquam mirum videri non debet, quod eius fabulas non satis dignas habuit, ‘quae iterum legentur’¹⁾: namque re vera Ciceroni eius carmina et fabulae valde abhorrente videri poterant ab eorum poëtarum, qui *Livio* successerunt, fabulas compendi ratione.²⁾ Utut res se habebat, auctoritatem atque gratiam, quam *Livius Musa* Graeca in terram Romanam translata sibi paravit, a Cicerone nequaquam esse obscuratam docet locus *Tuse.* disp. I, 1, 3, quo Romanos sero a Graecis artem poëticam accepisse dicit et *Livii* quadam cum laude mentionem facit.³⁾

Naevio similem quandam debitum honorem atque laudem Cicerio iisdem locis tribuit. Sed in eius fabulis maxime laudat nonnullos locos, quibus sententiae in universum spectantes continentur. Ita maxime ei placuit *Hectoris proficiscentis* fabulae versiculos, quo *Hector* patri suo *Priamo* modeste respondere putatur haec: „laetus sum laudari me abs te, pater, a laudato viro“⁴⁾ deinde illud celeberrimum „Male parta male dilabuntur“⁵⁾, vel „sero sapiunt Phryges“.⁶⁾ Eius fabulae praetextatae, cui ex Ribbeckii conjectura inserbitur, Lupi sententiam illam cum laude commemorat, qua senes in rebus publicis gerendis anteferri solere dicuntur: „Proveniebant oratores novi, stulti adulescentuli“⁷⁾.

Porro nobis, quid Cicero de *Naevii* sermone vel eloctione ipsa tragica

¹⁾ *Brut.* 18, 71.

²⁾ Quocum indicio compares id, quod *Livius* XVII, 37 de carmine in Iunonem reginam scripto dicit: „illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingenii, nunc abhorrens et inconditum, si referatur.“

³⁾ *Cato Mai.* 50.

⁴⁾ ad *Fam.* XV, 6, 1 *Tuse.* IV, 31, 67 ad *fam.* V, 12, 7.

⁵⁾ *Phil.* II, 27, 66.

⁶⁾ ad *fam.* VII, 16, 1.

⁷⁾ *Cat. Mai.* 6, 20.

senserit, quaerentibus maximo adiumento est locus de or. III, 44 : "Laelium sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire". Quem locum si resperxeris, Ciceronem, cum Naevium una cum Plauto nominet, sermonem tragicum huius poëtae a gravitate tragica aliquantum recedere et in translationibus atque comparationibus ad comicorum stilum proprius accedere sensisse putabis. Omnino autem Livii et Naevii artem tragicam obsoletam et ad tempus illud, quo vivebat, non accommodatum esse existimavit.¹⁾

Multo clarius copiosiusque indicat Cicero de tribus illis, qui Livio et Naevio successerunt, poëtis tragicis, de Ennio, Paeuvio Accioque. Quos Cicero tamquam aurea poësis tragicae aetate comprehendere solet, quia eos cum tribus Graecorum tragicis poëtis Aeschylo, Sophocle, Euripide comparare non dubitat.²⁾

Ut supra vidimus, Romanorum tragicis poëtis Cicero omnino eam imitandi rationem communem fuisse existimat, ut, materia et ab Aeschylo et a Sophocle et ab Euripide sumpta in fabulis ipsis comprehendendis libentissime Euripidem sequerentur. Hie igitur restat, ut originem Graecam fabularum carum, quas e Graecorum tragicis poëtis expressas esse Cicero aperte indicat, argumentis, quoad fieri licet, certis confirmemus. Jam ex Enni fabulis unam Medeam ex Euripidis fabula Medea ad verbum expressam esse de fin. I, 2, 4 indicat. Cicero igitur Ennium neque in totius fabulae dispositione neque in singulis scenis ab Euripidis exemplari discessisse putat. Quam rem fragmentis cum Graecis Euripidis versibus comparatis optime confirmavit Ribbeckius.³⁾ Paeuvii fabulas duas Niptra et Antiopam, unam e Sophocle, alteram ex Euripide Cicero di-

¹⁾ cf. de leg. II, 15, 39: „Liviani et Naeviani modi solebant quandam compleri severitate ineunda“.

²⁾ cf. de or. 3, 27, ac. prior. I, 3, 10.

³⁾ de trag. Rom. p. 149 sqq. Exempli gratia verba, quae nutrix in prologo de Argo navi enim devotione dicit fr. 1, cum Euripidis versibus Medeae 1 sqq. conlata secundum Ribbeckium hic adscripserim:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
caesa accedisset abieagna ad terram trabes,
neve inde navis incobandae exordium
coepisset, quae nunc nominatur nomine
Argo, quia Argivi in ea delecti viri
vecti petebant pellem inauratam arietis
Colebis, imperio regis Peliae, per dolum
Nam numquam era errans mea domo ceserret pedem
Medea, animo aegra, amore saevo saucia

quibus enim facile intellegitur apte convenire haec:

εἴθ' ὥφελ' Ἀργοῦς μῆτη διαπέπειθαι σκάφος
Κόλχων ἐς ἀλιν κυανέας Ευμπλκηράδας,
μῆδ' ἐς νάπαισι Ηγλίου πεσεῖν ποτε
τρυηθείσα πεύκη μηδ' ἔρετυμώσαι χέρας

cit¹) esse expressas. Sophoclis Niptrorum fabulae cum nil nisi fragmenta sint residua, Ciceronis iudicium exemplis pluribus vel certioribus vix illustrari potest. Ea enim, quae Soph. fr. 420 leguntur: τὴν παρουσίαν τῶν ἐγγὺς ζυτῶν satis dubitanter Ribbeckius de trag. Rom. p. 276 ad ea referri coniecit, quae fragmento Paeuviano VIII legimus: ‘vos hinc defensum patriam in pugnam baetite’, quibus verbis Ulixes, antequam cum Telegono manus consereret, turbam famulorum servorumque et vicinos ad auxilium convocare fingitur. Deinde Antiopeae Paeuvii fabulae, in qua Ciceroni disputatio Amphionis et Zethi magnae erat admirationi, unum tantum fragmentum (VIII)²), quo comparatio quadam sortium humanarum et noctium dierumque vieissitudinis indicatur, verbis Euripidis, quae ad similem comparationem spectent (fr. 196) ‘τοιόδες θυητῶν τῶν ταλαιπώρων βίος κ. τ. λ.’ accommodari potest. Itaque nobis originis Graecae indicio esse videtur tantum id, quod, quo valeant illa Paeuviana, nisi adhibitis Euripideis, quae supersunt, laciniis, intelligi non possunt. — Ex Accii fabulis tantum unam e fonte Graeco haustam esse confirmat de opt. gen. or. 6. 18, e cuius loci conexu cum Accii Epigonus ad Sophoclis eiusdem tituli exemplar retulisse appetet.³)

Jam maioris momenti esse videtur accuratius exponere, quid Cicero de singulorum poëtarum illorum ingeniis, de eorum loquendi usu, de eorum fabulis senserit. Ac primum quidem Ennium Cicero in maximo honore cultuque habuit neque eius auctoritatis aut familiaritatis, qua apud viros vel litterarum studiis vel rei publicae deditos florebat, mentionem facere omisit.⁴) Porro etsi eius artem epicam⁵) maxime adamabat, tamen in Brut. seet. 76 conlatis superioribus, qui antecesserunt, etiam poëtis tragicis Ennium perlectiorem atque excultiorem existimare non dubitavit. Ennii ingenium poëticum quantopere aptum esset ad artem tragicam exerceendam ex eius fabulis Cicero cognoscere studebat, quarum Andromacham, Medeam, Thyestam, Alexandrum plurimi aestimabat. Quod Ciceronis iudicium ut facilius cognoscatur, iam quid illud sit, quod eum maxime in illis Ennii tragediis delectaverit, necesse est accuratius inquirere. Ac primum quidem in Andromacha fabula,

ἀνδρῶν ἀριστέων, οἱ τὸ πάγκρυτον δέρχεν
Πελίας μετῆλθον. οὐ γάρ οὐ δέσποιν' ἔμη
Μῆδεια πύργους γῆς ἐπλευσεῖτο, Ιολκίας,
ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖτο Ιάσονος κ. τ. λ.

¹⁾ Tusc. II, 21. 48; de fin. 1. 2. 4.

²⁾ „sol si perpetus siet

flammeo vapore torrens terrae fetum exusserit
nocti ni interveniet, fructus per pruinam obrigerint.“

³⁾ cf. Ribb. de trag. Rom. p. 489 sqq.

⁴⁾ pro Arch. 11. 27 — de prov. consul. 9, 21 — ibid. 8. 18.

⁵⁾ de opt. gen. or. 1, 2 —

in qua de caede Astyanactis, Priami filii, agitur, animi conditio Andromachae matris optimae ab Ennio egregiis verbis descripta summae delectationi ei fuisse videtur. Atque ingenio et moribus Andromachae Eunianaee Cicero maxime motus est; illud enim carmen, quod, cum iam Priami regia deleta Astyanax puer hostibus sacrificatus esset, illa lamentans eceinit, Cicero 'praelarum et rebus et verbis et modis lugubre' appellat.¹⁾ Eiusdem cantici verba, quae Andromacha ad miseriam suam et ad maximos illos, quos perpessa erat, labores, referre singitur²⁾, aperte his verbis admiratur: „quam leniter, quam remisse quam non actuose!³⁾“ quae, quamvis egregiam histrionis artem laudent, tamen haud parvi momenti esse videntur ad ipsum Ciceronis de hac fabula indicium illustrandum. Accedit, quod, si locum de *opt. gen. or. 6. 18* respieimus, Cicero Andromacham omnino in optimarum fabularum numero habet. Deinde Medeac Eunianaee parem praestantiae laudem Cicero tribuit.⁴⁾ Jam ex magno numero versuum ex hac fabula citatorum⁵⁾ facile cognoscere licet, quantopere ea delectatus sit. Etenim Ciceronis animo maximam admirationem attulisse videtur id, quod in Medea illa callida Iasonem crudeliter uincendi ratio cum amore funesto et macrore coniuncta a poeta tam bene aptaque describitur. Neque dubium est, quin in eius memoria et mente penitus insederit illa scena, qua Medea Iasoni, quod se sine ullo auxilio reliquisset, sommo opprobrio dedit verbaque illa desperationis plenissima protulit⁶⁾:

Quo nunc me vortam? quod iter incipiam ingredi?
donum paternanne anue ad Peliae filias?

'ad quae bene proferenda voeis genus flexibile, plenum, interruptum flebili voce sumendum esse' censet⁷⁾. Sed nonnulla in hae fabula Ciceroni digna videntur, quae reprehendantur, quod nimis subtilem philosophandi rationem sophistis propriam redoleant⁸⁾ vel ad perniciosos mores excitandos haud parum valeant⁹⁾. Tum in Thyesta fabula Cicero nonnulla praec-

¹⁾ Tuse, disp. III, 19, 44.

²⁾ fr. X, XI, XII see. Ribb.

³⁾ de orat. III, 26, 10L

⁴⁾ de fin. I, 2, 4.

⁵⁾ cf. de fato XV, 35; pro Coelio VIII, 18, ad fam. VII, 6 de deor. nat. III, 25, 65 et ib. 29, 71 et Tuse, disp. IV, 32, 69, quibus locis suam de natura vel de animi perturbationibus opinionem exemplis ex Ennio sumptis accuratis declarare stndet.

⁶⁾ fr. x see. Ribb.

⁷⁾ de orat. III, 58, 217.

⁸⁾ de inv. I, 41, 91 de Topic. 16, 61, de fato XV, 35 Cum fr. I: „Utinam ne in nemore Pelio securibus caesa accidisset abiugna ad terram trabes“ nutrix tamquam ab ovo causas mali persecutatur, illam conquestiōnē longius, quam res ipsa postulat, repetitam esse Cicero Ennio obicit: eidem Ciceroni postea assentitur Quintilianus V, 10, 84.

⁹⁾ Tuse, disp. IV, 32, 69 eo offensus esse videtur, 'quod poeta Medeam faciat honorem amoris postponentem' cf. Schollmeyer, p. 17. Sed ex eodem loco item apparet Ciceronem, quod disserimen inter Enni et Accii rationem Medeae amoris illustrandi intercederet, bene cognitum

clare¹⁾) et luculente²⁾) dicta esse aperte profitetur, unde Ribbeckius eam in optimarum Ennij fabularum numerum referendam esse haud immerito coniecit. Adde, quod partes Thyestae Iudis Apollinaribus magno cum plausu actas esse loco Brut. 20. 78 testatur. Scenarum autem singularium, quas Ribbeckius restituere studuit, Ciceroni maxime illae placuisse videntur, quibus Thyestae animi conditio post scelestam illam cenam, in qua filiorum suorum carnes comederat, illustratur³⁾ veluti ea, quae fractus seque abstinentia a consuetudine hominum pudore motus dicit fr. VIII secundum Rabb.:

nolite, hospites, ad me adire : illico istie
ne contagio mea bonis umbrave obsit
tanta vis seeleris in corpore haeret.

Deinde versus, quibus Atreum fratrem inhumanum exseceratur⁴⁾), cum maxime delectavisse inde perspicitur, quod eos luculentos nominat (Tusc. I, 44, 107), quamquam eodem loco ipsa huius exseerationis verba durius usurpata et contra sensum vere humanum dieta esse contendere non dubitat⁵⁾. Quod autem Schollmeyerus p. 15 Ciceroni hanc fabulam omnino non placuisse cumque sententias nonnullas et versus improbabuisse contendit, eo refutandum esse putaverim, quod illa exseerationis verba ex ratione poetica vel ex illa vocum singularium 's' sese excipientium consonantia luculenta, sed imania ex ratione philosopha Cicero appellare videtur. Deinde, quia hunc unum locum aliquanto vehementius reprehendit, eum de tota fabula male sensisse nequaquam concludi potest. Ceterum non est obliviscendum illius loci, quo Atreus fratre agnito sermonem ad philosophiam naturalem spectantem facit, „aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem“ quae verba, eum ad veram rei ipsius naturam bene quadrent, ‘assensu omnium’ ab Ennio dieta esse confirmat.⁶⁾ — Denique Alexandri fabulae⁷⁾ ab illo somnio, quo Hecuba ardenter faciem, ex qua serpentes plurimi exissent, peperisse dicitur, exordientis illa scena maxime gavisus esse videtur Cicero, qua Cassandra filio Paride, quem parentes imperfectum putant, in Iudis ipsis habuisse: dicit enim: „Atque ea (sc. Medea) tamen apud alium poetam patri dicere audet se coniungem habuisse 'Illum, Amor, quem dederat, qui plus pollet potiorque est patre.'“

¹⁾ de off. II, 7, 23. — ibid. III, 29, 104.

²⁾ Tuss. disp. I, 44, 107.

³⁾ Rabb. de trag. Rom. p. 202. Cic. Tusc. disp. III, 12, 26.

⁴⁾ fr. XI: „Ipse summis saxis fixus asperis evisceratus

latere pendens, saxa spargens tabo sanie et sanguine atro
neque sepulerum, quo recipiat, habeat portum corporis,
ubi remissa humana vita corpus requiescat malis.“

⁵⁾ cf. etiam or. in Pison. 19, 43, ubi haec legimus: „Thyestea est ista exseratio poetae vulgi animos, non sapientium moventis.“

⁶⁾ cf. Rabb. de trag. Rom. p. 201 sqq. Cic. de nat. deor. II, 2, 4.

⁷⁾ de huius fabulae argumento scenarumque ordine conferas Rabb. de trag. Rom. p. 81 sqq.

funebris agnito ab Hecuba cum praesagientis animi divinatione interrogata, cur ipsa una ex ceteris virginibus ‘oculis rabere visa sit ardentibus’) illius somnii omnes rursus admonens vaticinia sua carmine illo explicat, de quo Cicero Quintum fratrem sic loquentem inducit: „poëma tenerum et moratum atque molle.... deus inclusus corpore humano iam non Cassandra loquitur“.²⁾ Ac profecto qui illius carminis miserabilem sonum tenerumque et voeum singularum sese excipientium consonantiam, velut: illud ‘multo mulier melior mulierum’ cognoverit, Ciceronem haec verba tenera atque mollia esse rectissime sensisse facile concedet.

Praeter harum fabularum, de quibus egimus, personas etiam Telamonis senis ingenium, quod Ennius optime percepit et descripsit, Cicero maxime lactatus esse videtur. Namque Telamonis fortem animum patri vere Romano proprium eiusque magnanimitatem ei summae delectationi fuisse e loco de div. II, 50 114 optime configitur, ubi illud maxime probat, quod Telamo Ennius sententiae nobilium illius temporis Romanorum accedens deos humano generi prospicere cum Epicuro negat fr. I his versibus:

Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum

Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus

Nam si current, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest.

vel e loco de div. I, 58, 123, quo verba Enni maxima cum laude profert, quibus haruspices et interpretes somniorum non leniter castigat,

„superstitiosi vates impudentesque arioli

aut inertes aut insanii aut quibus egestas imperat

qui sibi semitam non sapient, alteri monstrant viam,

quibus divitias pollicentur, ab eis dracumam ipsi petunt.

Ut autem in hae fabula magnanimitas et constantia Telamonis, ita in Alcmaone pavor et conscientia, quae supplicantum more fr. II descripta sunt, et ea, quibus Aleumaeonis incipiens insaniam (fr. IV) illustratur, Ciceroni optime plaeuerunt.

Deinde maxime laudat Cicero Enni sententias, quibus boni mores commendantur. Etenim permultis locis sententias profert ad opiniones suas illustrandas vel confirmandas, veluti „Flagitii principium est nudare inter cives corpora“ vel „Amicus certus in re incerta cernitur“ vel: „Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit perisse expetit“ vel „Bene facta male locata male facta arbitror“, quas sententias bene et reete et praecclare ab Ennio dictas esse dicit.³⁾

¹⁾ Ribb. Trag. Rom. fr. 20 fr. VI et de trag. Rom. p. 89.; deinde Ciceronem arte, qua Ennius vaticinationes, ut visiones per totam hanc fabulam dispersas fixerat, valde gavisum esse Schollmeyerus p. 15 locis collatis de div. I, 21, 42 ibid. I, 31, 66 statuit: de versibus ipsis, qui illas visiones apte describunt, cf. Ribb. inc. ine. fab. V et de trag. Rom. p. 82.

²⁾ de div. I, 31, 66.

³⁾ Tusc. IV, 33, 70. Lael. 17. 64. de offl. II, 7. 23; ibid. II, 18, 62.

Iam in eo est, ut videamus, quid Cicero de Ennii locutione senserit. Eum linguam latinam maximam partem purgavisse et perpolire studuisse Cicero concedit in Brut. 19, 76 formam magis perpolitam ei tribuens, quam ea forma erat, qua superiores uti solebant. Sed tamen, quia dictioni Ennianae neque certum quoddam consilium neque color quidam emendatior inerat, hanc ipsam ob causam Ennium cum Naevio comparans leniter vituperare non dubitat, quod ‘multa ab hoc vel sumpserit vel surripuerit.’ Dicit enim eodem loco orsus ab iis, qui ante Ennium res Punicas carminibus epicis descripsérunt, haec: „et luculente quidem scripsérunt, etiam si minus quam tu polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel si negas, surripuit.“ Omnino perspicuitatem¹⁾, deinde copiam verborum ab Ennio locupletatam Ciceronem maxime admiratum esse inde apparet, quod Crassum ‘verba, quae maxime eiusque rei propria quaque essent ornatissima atque optima’ ab Ennio se didicisse factentem inducit²⁾, ita ut eum ipsum candem de hac re sententiam habuisse facile intellegatur. Deinde etiam si Cicero nonnulla Ennii verba antiquitatem quandam redolere bene seit, tamen Ennii illud verba nova vel compositione facta usurpandi studium laudare vel non male accipere videtur.³⁾ Neque Ciceroni poëta is fuisse videtur, qui eas, quae audientium aures magis delecent, formas imminutas, ut ‘scripsere pro verbo pleno ‘scripsérunt’ et ‘templis isdem’ pro ‘templis eisdem’ sperneret.⁴⁾ Denique dictionem Ennianam verbis translatis et imaginibus abundare bene seit. Sed de or. III, 40, 162 de translationibus ipsis agens abstinere non potest, quin poëtam aliquantum vituperet, quod imaginem audaciore quadam sermonis translatione factam ‘Caeli ingentes fornices’ usurpaverit⁵⁾ vel quod ‘abnitas’ pro ‘vetas’ vel ‘prohibes’ angustius⁶⁾ collocayerit. Item voces quasdam ut ‘metum faeffum’ et exitium ‘inusitatum’ contractas esse dicit.⁷⁾

Postremum denique quod ad numeros Ennianorum versuum attinet, Cicero non habet, cur Ennii versus formandi ratione offendatur, dummodo ad novos illius aetatis poëtas respiciat,⁸⁾ quorum rationem versum pangendorum in ep. ad Att. VII, 2, 1 aperte illudit. Itaque indoctam illam consuetudinem syllabae — us in fine vocabulorum ante voces a consonantibus in-

¹⁾ de rep. V, 1, 1.

²⁾ de or. I, 34, 154.

³⁾ Eiusmodi verba sunt: „saxifragus“ (de orat. II, 42, 167) „expectorat“ (ibid. III, 38, 104) et alia: cf. ap. Schollmeyerum p. 17.

⁴⁾ or. 49, 162. ibid. 47, 157.

⁵⁾ de orat. III, 40, 162.

⁶⁾ de orat. III, 41, 164.

⁷⁾ orat. 46, 155.

⁸⁾ cf. orat. 48, 161.

cipientes positae litteram postremam detrahendi, ut Ennius illud: „qui est omniu[m] princeps“ pro „omnibus“ Cicero eo defendere studet, quod talia illo Ennius tempore non tam indoete, quam polite dicta esse putat. Sed tamen altera ex parte magni momenti esse videtur commemorare Ciceroni versus Ennianos cum Naevianis comparanti illos non minus neglegenter factos¹⁾ quam hos et interdum orationis solutae simillimos videri²⁾, ita ut haec in re Ennium antiquiori poëtae opponere nequaquam audeat.

Iam Ciceronis de Paenatio, quale fuerit iudicium, videamus. Omnino de Pacuvii artis tragicae ratione eiusque ingenio Cicerone optime iudicat, cum eum pro summō poëta tragico habeat. Ipse enim de opt. gen. or. I, 2 eum haec dicat: „itaque licet dicere et Ennium summum epicum poëtam et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum“, illa voce ‘fortasse’ Caecilii nomini addita re vera summam laudem arti tragicae Pacuvianaē tribuendam esse sine ulla dubitatione confirmare voluit. Priusquam igitur quibus causis commotus Cicerone tam bene de hoc Romanorum poëta tragico iudicaverit, in universum paucis complectamur, fabulas, quas Cicerone maxime coluit, pertractare debemus. Ac primum quidem referamus animum ad fabulas, quas e poëtis Graecis expressas esse Cicerone testatur, ad Niptra et Antiopam. Iam in Niptris, quae fabula ex Ribbeckii conjectura³⁾ valde probabili in oraculo niti videtur, quo Ulixem in patriam reversum a filio suo occisum iri portenditur, persona illa Anticleae ancillae vetustae eiusque verba mollitia atque amoenitate plenissima, quibus pedes abluens (fr. I) usa esse videtur, Ciceroni maxime placuerunt, praesertim cum illa verba, quae ancilla ad Ulixem agnoscendum adhibet fr. II ‘lenitudo orationis, mollitudo corporis’ Tusec. disp. V, 16. 46 aperte laudet. Artem autem Pacuvii Ulixem verum heroem depingendi Cicerone adeo admiratur, ut Pacuvium imaginem Ulixis dolorem constanter ferentis melius, quam Sophoclem finxisse dicat.⁴⁾ Etenim cum Sophocles in eadem fabula Ulixem de doloribus magnis graviter querentem et lamentantem facere non dubitet, poëta Romanus maiorem dignitatem et gravitatem scenae eo tribuit, quod Ulixem nihil aliud facit orantem, quam ut mitius se portarent, ad quod apte referuntur verba fr. IX:

„Pedetemptim ac sedato nisu
Ne succussu arripiat maior
Dolor“

in quibus verbis modicam illam vocem, qua Ulixes usus est, Cicerone codem loco admiratur. Itaque cum Paenius Ulixis imaginem cum ampliore dignitate

¹⁾ orat. 45, 52; ibid. 11, 36.

²⁾ ibid. 55, 184.

³⁾ de trag. Rom. p. 271 sqq.

⁴⁾ Tusec. disp. II, 21, 48.

depinxerit quam Sophocles et heroi constantiam illam vere Romanam tribuerit, non est, eur miremur, quod poëtam, quippe qui 'serendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistrum' tam bene intellexerit, eodem Tuse, disp. loco 'prudentem' appellat. Item 'in extremis Niptris', quae leguntur fr. X :

Conqueri fortunam advorsam, non lamentari debet

Id viri est officium, fletus muliebri ingenio additu'st,

cum patientiam virtutemque vere Romanam commendent, a Pacuvio bene dicta esse Cicero sentire videtur.

Antiopam Ennii Medeae et Andromachae parem esse existimavit, cum de fin. I, 2, 4 et de opt. gen. or. 6. 18 illam fabulam una cum his nominet. Ac maxime quidem celleberrima illa fratrum Zethi et Amphionis disputatio, circa quam totum fabulae argumentum verti videtur, Ciceronem delectat. Neque eum effugit, Pacuvium secundum Euripidem fratres studiorum contrariorum patronos induxisse, ita ut eorum rebus, qui nihil aliud petebant, quam ut civitati bene servirent, Zethus patrocinari, vice autem artificum, poëtarum, philosophorum Amphiō fungi putetur. Atque ex locis, quibus hanc controversiam tangit, de orat. II, 37. 155, de republ. I, 18. 30, de inv. I, 50, 94 mihi quidem nihil aliud configi videtur, quam Ciceronem id, de quo lis esset, vel, quid inter Zethi et Amphionis controversa studia intercederet, satis accurate perspexisse, ita ut, id quod Cornificius in Rhetor. ad. Herenn. II, 27, 42 affirmat „Zethi et Amphionis controversiam, cum de musica inducta sit, in sapientiae rationem et virtutis utilitatem consummari“ ipse quoque plane persuasum habuerit. Namque cum Zethum „nimis inimicum doctrinae“ ac sapientiae appellet et Amphionem id, de quo lis est, „non defendere, sed vituperata musica sapientiam laudare“ dicat, illam nimis studiose disputandi rationem, qua utrumque fratrem ad studia sua aeriter defendenda usum esse Pacuvius sibi finxit, haud male percepisse videtur. Quod igitur Schollmeyerus p. 18 his Ciceronis verbis illarum Pacuvii personarum reprehensionem quandam inesse contendit, equidem haud facile probaverim, praeſertim cum his locis de illis fratribus non iudicium quoddam apertum faciat, sed illas tragicas personas tantummodo quasi exempla ac testes ad opinionem suam declarandam adhibeat. Neque id, quod Cicerio Amphionem 'obscurius' testitudinem deseripsisse dicit, mihi tantum serupulum initit, ut cum Schollmeyero illa voce 'obscurius' vituperationem aliquam a Cicerone indicari contendam. Illis enim verbis, quibus de div. II, 64, 133 utitur, „nam Pacuvianus Amphiō cum dixisset obscurius“, ea, quae hodie fr. IV¹⁾ exstant, aenigmatis more

¹⁾ Quadrupes tardigrada agrestis humilis aspera,
Brevi capite, cervice anguina, aspectu truci,
Eviscerata inanima cum animali sono.

ita dicta esse vult indicare, ut obseviora visa sint. Omnino hanc fabulam illis aetatis Ciceronianaec hominibus valde placuisse inde probatur, quod etiam saepe in seena agebatur, ut spectatores eam ex primo tibicinum inflatu cognoscerent.¹⁾

Deinde Teucer et Armorum iudicium a Cicerone maxime praedicantur. Teucerum enim fabulam dignam existimavit, quae edisceretur, ut oratores in arte dicendi exercerentur.²⁾ Seena illa, qua Teucer a Telamone patre excipitur, totius fabulae eminentissima maxime captus esse videtur. Nam illos versus septenarios (fr. XII), quibus senex Telamo carentibus oculis, lacrimans in filium, quem auctorem Aiaeis caedis putat, vehementer invehitur, cum Pacuvius eum ‘inflammatione animi et adflatu’ Telamonis iracundiam depinxerit et Hesionae curam et timorem ‘vi quadam vere divina’ descripsert, maxime laudat³⁾ totumque canticum ‘splendidum’ appellat. Etiam illud Teueri dictum ad omnem vivendi rationem accommodatum:

„Patria est, ubiquecumque est bene“

quod huic Pacuvianae fabulae adiungendum esse Ribbeckius⁴⁾ coniecit, Ciceroi valde placet. Tum verba, quae Hermioneam Pacuvius dicentem facit, fr. XIV fab. Herm.:

„O flexanima atque omnium regina rerum oratio“

quippe quibus eloquentiae laus apertissima tribuatur, Cicero adeo admiratur, ut Pacuvium ‘poëtam bonum’ appellet.⁵⁾

Ex reliquis denique fabulis Iliona et Chryses apud Ciceronem in maximo honore cultuque erant. In Iliona illud clarissimum canticum verbis illis satis gravibus incipiens „Mater te adpello“, quod Deiphili, Ilionae filii, umbram poëta cantantem inducit, Cicero tanto cum studio praedicat, ut illorum verborum usum fere constantem apud Romanos fecerit, neque facere potest, quin satis magnis laudibus effterat modos in illa seena adhibitos, quos „totis theatris maestitiam inferre“ dicit quosque aperte „tam bonos septenarios“ appellat.⁶⁾ Tum in „Chryse“ quod inest illud nobilissimum certamen Orestae et Pyladis, quo, quid amicitia sit quantumque valeat, optime a poëta inlustratur, maximis laudibus Cicero exornat et vulgi clamoribus, qui illis versibus sese excipientibus „ego sum Orestes“ et ‘immo enimvero ego sum Orestes’ exci-

¹⁾ Acad. pr. II, 7, 20.

²⁾ de orat. I, 58, 246 ‘nec quisquam est eorum, qui si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucerum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere.’

³⁾ cf. de orat. II, 46, 193 ibid. III, 58, 217. de div. I, 36. 80.

⁴⁾ de trag. Rom. p. 231.

⁵⁾ cf. de or. II, 44, 187.

⁶⁾ Tuse. I, 44, 106; de eadem seena commemorat saepius: cf. pro Sestio 59, 126, aead. prior. II, 27. 88; de or. III, 58, 219.

tati erant, loco de fin. V, 22, 63 confirmat.¹⁾ Omnino tanta huius fabulae admiratione erat abreptus, ut, quod Quintus frater de div. I, 57, 131 contra Pacuvium disputat, alio loco de div. II, 14, 33 poëtae defendendi causa prorsus refutare studeat.²⁾

Iam autem Medium minoris fecisse videtur, praesertim cum singulas huius fabulae personas, ut Aeaeten et Medeam hic illie paucis verbis haud leviter perstringat. Aeaetae enim opprobrio dat³⁾, quod regni, non Medeae filiae desiderio maeret, Medeam propter nimiam audaciam et animi levitatem vituperet.⁴⁾ Medium ipsum Ciceroni tortiorem atque animosiorum videri inde cognoscere cogimur, quod histriones, qui voce freti erant, has Medi partes sibi elegisse commemorat.⁵⁾

Ad quae Ciceronis de fabulis Pacuvianis iudicia si animo strictim respiecimus, Pacuvium ab eo summum tragicum Romanorum poëtam habitum esse ita nobis intellegendum erit, ut Ciceroni Pacuvium propter vim tragicam sive nervos tragicos, qui singulis personis inessent, maximae admirationi fuisse statuamus. Quamquam ei cum Schollmeyero p. 20 id ostensioni fuisse consenserim, quod nonnullae Pacuvii personae, ut illae Medi fabulae, non idoneae essent, quibus hominum mores emendarentur. Neque parum ad illud tam bonum de Pacuvio iudicium valere videtur id, quod metrorum ratione habita omnes versus apud eum ornatos elaboratosque nominat.⁶⁾

Jam de eius loquendi usu Cicerone non bene iudicat, cum illam latini sermonis puritatem, quae C. Laelio, P. Scipioni aequalibus erat propria, Pacuvio abiudicet cumque male locutum esse dicat.⁷⁾ Maxime enim eum vituperat, quod genetivis in syllabam „ūm“ desinentibus non modo frequentius atque inusitatius, verum etiam „durius“ usus⁸⁾ sit.

Relinquitur, ut, quid Cicerone de Accio iudicaverit, paueis exponamus. Ut Accium posteriores scriptores ingenio valido, fortis fervidoque praezelluisse putabant, ita hanc Accii ingenii praestantium iam antea Cicerone maxime celebrabat atque colebat. Namque non defuit, quoniamcum eum pro Sest. 48, 102 poëtam gravem et ingeniosum appellaret, neque, quem pro Plancio 24, 59

¹⁾ Quantum tribuerit huius fabulae scenae, etiam cognoscas ex loco de fin. II, 24, 79.

²⁾ cf. de hac re Schollmeyerum p. 19, 20.

³⁾ Tusc. disp. III, 12, 26.

⁴⁾ Ibid. IV, 32, 69; de inv. I, 48, 90.

⁵⁾ de off. I, 31, 114.

⁶⁾ orat. II, 36. Illius artis metricae Pacuvianae laudis testis est Marius Victorinus (p. 2522 ed. Putsch.), qui suavitatem versuum Pacuvii amapaesticorum praedicat, et, quod is versus amapaesticos caesuris non constanter intra binos pedes positis bene pulchreque variavit atque distinxit, valde laudat.

⁷⁾ Brut. 74, 258.

⁸⁾ cf. or. 46, 155, ubi eiusmodi genetivorum duriorum contractorum mentionem facit: „consilium, angustum, extum“ cf. etiam Ribb. de trag. Rom. p. 339.

gravem et ingeniosum citavit poëtam, alium quam Accium indicavit. Omnino haud dubium esse videtur, quin hoc iudicium ita Cicero conceperit, ut ei Accius ingenio atque viribus suis plurimum confisus rationem singulas Graecorum fabulas pertractandi modo liberiorem, modo accuratiorem, ut ipse poëtie ingenii impetus ferebat, secutus esse videretur. Ex Accii fabulis maxime Epigonos admiratur et Atreum. Illam tragiciam secundum Sophoclis exemplar Ciceroni optime compositam esse videri supra vidimus. In „Atreo“ multa sunt, quae ei maxime placuerint. Etenim Atrei et Thyestae personas tam bene depinxit atque descripsit poëta, ut Cicero eas summis laudibus cumulaverit. Iam Atrei illa verba, quibus tyraanni ratione utitur (fr. V): „oderint, dum metuant“ verborum gravitate commotus Atrei persona digna esse sentit,¹⁾ etiamsi alii loci cum haec verba, cum populo perniciosa essent, ab improbis civibus excipi noluisse aperte doeant.²⁾ Tum Cicero iraeundiam Atrei personae propriam esse oportere item bene cognovit, ita ut facile perspiciat, cur versus illos, qui ad illam animi perturbationem inlustrandam valent, libenter ad suam de ira opinionem declarandam quasi testes atque exempla vocaverit.³⁾ Deinde, quae ad improbum et crudelem Atrei animum pertinent, cum personae Atrei aptissime accommodata sint, ‘luculente’⁴⁾ vel ‘recte et verissime’⁵⁾ a poëta dicta esse indicat, veluti illud diverbitum, quod inter Thyesten et Atreum intercedere putatur: ‘fregisti fidem’, ad quae Atreus crudeliter respondet: „Neque dedi neque do infideli cuiquam...“ et haec:

„Quod re in summa summum esse arbitror
Perieulum, matres conquinari regias,
Contaminari stirpem ac misceri genus“

quibus verbis Atreus adulterio totam regis gentem maculari severe atque acerbe indicat. Porro praeclara illa praecepta, quae ‘poëta gravis et ingeniosus’ Atreum facit dicentem⁶⁾, Ciceroni maxime placuisse Schollmeyerus statuit. Adiciendum esse mihi videtur illud Thyestae dictum, quod hie filius suis praecepit:

